



go H. iuro vobis rectori vestrisque successoribus obedienciam in licitis et honestis, et servare statuta et statuenda pro posse meo, et quod bonum huius universitatis velim procurare, ad quemcumque statum devenero, et quod iniuriam propriam non velim per me ipsum nec per alium vindicare, sed super hoc officium rectoris implorare, et quod non velim uti conservatorio universitatis nisi prius obtento rectoris signeto. Item iuro vobis rectori vestrisque successoribus, quodsi in aliquo excessu et forefacto, quod absit, notabili et publico deprehensus fuero et monitus a tali desistere nolueró, quod tunc ad rectoris requisicionem infra certum terminum mihi a prefato rectore protunc existente constituendum, ab hac civitate et universitate absque more dispendio velim recedere meque ad domum parentum vel amicorum meorum immediatè et sine contradictione presentare et inde infra mensem non recedere. Sic me deus adiuvet et sancta dei ewangelia.